



BIBLIOTECA
COMUNALE
DI TRENTO



UNIVERSITÀ DEGLI STUDI
DI TRENTO
Dipartimento di Lettere e Filosofia



FONDAZIONE
CARITRO
CASSA DI RISPARMIO DI TRENTO E ROVERETO

GUARINONI IPPOLITO, *Illustrissimo ac reverendissimo principi, d.d. Carolo Madrutio, SS. E.R. cardinali felicissime inaugurato, atque episc. Trid. &c. domino clementissimo collegium medicum dicavit*, Trento, Simone Alberti, 1604.

Esemplare digitalizzato:

Trento, Biblioteca comunale, T I-op d 38

LINK: <https://bdt.bibcom.trento.it/83>

[BDT – BIBLIOTECA DIGITALE TARENTINA](#)

progetto STABAT – *Stampe antiche Biblioteca comunale di Trento*



COMUNE DI TRENTO



STABAT – *Stampe antiche della Biblioteca comunale di Trento* è un progetto concluso, cofinanziato dalla Fondazione Caritro (“Bando Archivi 2014”), dalla Biblioteca comunale di Trento e dal Dipartimento di Lettere e Filosofia dell’Università di Trento; gli altri partner del progetto sono la Soprintendenza per i beni storico-artistici, librari e archivistici della Provincia Autonoma di Trento e l’University of St Andrews, School of History, USTC – Universal Short Title Catalogue. All’interno di Stabat sono state digitalizzate e descritte tutte le edizioni stampate in Trentino nei secoli XV-XVII che si conservano presso la Biblioteca e l’Archivio storico del Comune di Trento. Ogni digitalizzazione è accompagnata da una descrizione della stampa; tutto il materiale è liberamente consultabile sulla *Biblioteca Digitale Trentina* (<http://bdt.bibcom.trento.it/>).

In questo file le immagini hanno avuto in trattamento OCR e pertanto si possono fare ricerche testuali; le immagini presenti sul sito, dove si può trovare una descrizione completa dell’edizione, hanno invece una qualità maggiore.

Le immagini presenti nella *Biblioteca Digitale Trentina* sono rilasciate con licenza di Pubblico dominio, il presente PDF è distribuito con licenza Creative Commons Attribuzione – Non commerciale – Non opere derivate 3.0.

STABAT – *Stampe antiche della Biblioteca comunale di Trento* is a project that was successfully concluded thanks to the support of a group of partners, namely the Caritro Foundation (“Bando Archivi 2014”), Trent Civic Library, the Department of Humanities of the University of Trento, as well as the Superintendence for Architectural, Landscape, Historical, Artistic and Ethno-anthropological Heritage for the Province of Trento and the University of St Andrews, School of History, USTC – Universal Short Title Catalogue. All the editions belonging to the Library and the Civic Historical Archive that were printed in Trentino during the XV-XVII centuries have been digitised and described. As a result, each digital copy is accompanied by a record with specific data regarding the printed book, and is freely available to be consulted on *Biblioteca Digitale Trentina* (<http://bdt.bibcom.trento.it/>).

The images belonging to this file are OCR-converted, hence the text of this edition can be electronically searched. The images available on the website, on the contrary, have a higher resolution and are accompanied by a complete description of the edition.

The images available on the *Biblioteca Digitale Trentina* are public domain files; this PDF is available under the Creative Commons Attribution – Non-commercial – No Derivative Works 3.0 License.



Misc. T. d. 749.

T
I
Op

BIBLIOTECA
COMUNALE
TRENTO

T
I-Op
d
38

K1115204
D1115190

ILLVSTRISSIMO

AC REVERENDISSIMO

PRINCIPI, D. D. CAROLO

MADRVTIO, SS. E. R. CARDINA-
li felicissimè inaugurato, atque Episc. Trid. &c.

DOMINO CLEMENTISSIMO COLLEGIVM
Medicum Dicavit, Peroratore

Hippolyto Guarinonio Art. & Med. Doctore.



TRIDENTI, Simon Albertus Superiorum permissu
excudebat Anno Domini, M. DCIV.

ILLVSTRASSIMO

AO ET HERRNDISSIMO


PI. NELLE...

HIE V...

Ille...

DOMINO CLAVISSIMO CON...

Ille...



Faint text or signature at the bottom of the page.

EO ter Opt. Max. laus, honor, gloria: Sanctissimæ sedi Apostolicæ, virtus, potentia, maiestas, tibiq; Cardinalis Amplissimè Illustrissimèq; Princeps splendor, decus, amplitudo, Illustrissima Madrutia domui pulchritudo, magnificentia, claritas, rei sacrae pastor, rector, Episcopus, pater, dominus, Princeps, Reip. Vbertas, copia felicitas: senatui iustitia, fortitudo, sapientia: vrbi pax, tranquillitas, incrementum, vobis demum Clarissimis Auditoribus gaudiū latitia, ornamentum, quod vnica huiusce temporis atq; diei celebritate auspiciis superis immortalibus inuecta, ac vestris oculis communi omnium admiratione Illustrissimo Carolo collustrando exhibita sint, non immerito Sanctissimus Romanae Ecclesiae Pontifex Clemēs Octauus, et Amplissimus cum eadē vrbe Romana, tūm toto terrarum orbe diffusus Illustrissimorum Cardinalium confessus, & Tyrolēsis vniuersa ditio atq; circuitus, & Patria hæc vestra, hæc vrbs, adeoq; moenia ipsa, arces, templa, tellus, Alpium altissimarū cinctus, elementa, astra, cælum vehementer etiam atque etiam congratulantur, applaudunt, gestiunt. Etenim quod ab iisdem superis immortalibus & Augustissimus Romanorum Imperator, & vniuersa Protectore suo destituta iam pridem Germania, & patrium hoc solum, & vniuersi deprecati sumus, vt si quando illi, à defuncto piissimæ memoriæ Ludouico, Cardinali Madrutio Amplissimo, Illustrissimoque quem facta illustria, innumeraque in sacram Remp. merita, meritò Roma ad Pontificatum, Cælitēs eundem ad superas videntium aulas terrenas dignitates auersantē, auocandum esse voluerūt, alterum in sublimem eius dignitatem, vnde alterum auocarant, constituerent, eum, non aliunde nobis, quā è longè præclarissima Madrutia gentis profapia, vnde antecessores alij Principes hætenus emanant, benigni atq; clementes redderent, ac largirentur, hoc à cōceptis atq; exantlatis tot omnium ardentissimis votis, tanque alto diuturnæ expectationis silentio hodie demum in Illustrissimo Carolo euenisse, ac illuxisse, rectè quidem, & Romanorum voti compos redditus Imperator applaudit, & vniuersa Protectore rursū donāda gaudet Germania & patria hæc tellus optatissimo Principe ditata triumphat. Atque cum felicissimus hic dies, hæc otia iucundissima nouo splendori, ac partæ huic Illustrissimi Caroli dignitati concele-

brandæ atque extollendæ sola dicata, ac consecrata sint, omnesque patribus quidem animis, sed diuersis applausuum generibus inter se certent, atque contendant: dum te Cardinalis Amplissime sacra curia pijs votis, nobilitastrophæis, Senatus admiratione secunda, ciues ludo atque spectaculis, iuuentus igne ac armis, vulgus voce ac laudibus extollunt, atque ad astra vehunt: longè minus eos à tuis laudibus concelebrandis exclusos esse oportebat, qui salubriori artium atque scientiarum nectare delibuti sub eodem tuo felices viuunt imperio. Nam cum celeberrima tui nominis fama per plurimas equidè terrarū partes indeq; per tui Principatus vicos, arces, castra, paræcias oppida, vrbes ad extremos vsque Oeni terminos, atque id loci ciuitates peruagata esset: me quidè illic demorantè, ingentiq; animi gaudio persusū eadè decantati tui nominis amplitudo in patrias quā primū oras redire, quin posthabitis omnibus aduolare compulit ac incitauit: vt & earum gentium, vnde nuperrimè digressus, voto, & proprio, præcipuè verò eorum, qui hac in vrbe sacri tractant Aesculapij mysteria: tibi Domino ac Principi nostro longè optatissimo, clementissimo, diuinis auspicijs lectissimo publice in tuarum amplissimarum laudum pelagus inuectus, ne ingrati animi notam ipse mihi inurerè, congratularer. Quod dum pro ingenij mei tenuitate aggredior, a te, Cardinalis Amplissime vobisque Clarissimis Auditoribus etiā atque etiam deprecor atque cōtendo, vt de sublimibus, Madruticæ domus, ac hodiernæ celebritatis encomijs quantum per temporis angustias itinerisq; molestias assequi licuit, mihi coram tāti splendoris hodierna maiestate timidè admodum dicenti secundissimis vestræ beneuolentiæ Fauonijs adspirare ne grauemini.

Cum sublimia quattuor illa lumina atque columina, quæ partæ in Illustrissimo ac Reuerendissimo Carolo hodiernæ dignitatis atque splendoris capita sunt, pro dignitate celebrandi mihi prouinciam ac partes arrogo, Auditores: videor equidem mihi nulla verborum vbertate, nulla dicendi industria, prædito ingentem nauis machinam in vastissimum atq; immensum pelagus, in quod latissima illa ac famosissima quattuor, quibus maxima pars orbis terrarum irrigatur, Nilij, Gangis, Tigridis, atque Eufратis, flumina incurrant atque excurrāt, deduxisse, deductam verò infestisq; Borearum flatibus concussam, atq; procelloso vndarum agmine variè iactatam minimè euehere, ac in peroptatum portum educere posse. Quattuor illa sublimia celebra-

brita-

britatis hodiernæ capita, vnde quatuor amplissima dicendi flumina
 scaturiunt: est ipsa cum primis, qua Carolus Illustrissimus resulget,
 noua dignitas: alterum dignitatis eiusdem actores: tertium colla-
 tor: quartum susceptor. Dignitas Cardinea est: actores Virtus &
 Cæsar: collator summus Pontifex, susceptor Illustrissimus Carolus
 vnaque præclarissima domus Madrutia. Summarum rerum magni-
 tudinem perspicitis, dicendi difficultatē animaduertitis. Quorsum
 igitur me vertam? sublimemne Cardineæ dignitatis altitudinem
 oratione extollere aggrediar? atqui Labyrinthæis Dædalus alter cir-
 cumductibus irretitus oberro. Actores prosequar? cum imperito
 quadrigas moderor Phaëtonce. Collatorem prædicem? Icatu alter
 cereis sublime nimium deuectus alis miserè concido. Receptorem
 celebrem? cum formosa cursu certo Athalanta. Quid tandem? con-
 ticescam? Sed enim hoc longè indignius, atque ingratoris animi foret
 institutum. Præstabit igitur Labyrinthæis equidem cum Dædalo
 saltibus implicari, cumque rapida cursu contendere Athalanta, & fir-
 mo telluris pavimento niti, quā vel cum Icaro altius, vel Phaëtonce
 sublimius grauioris lapsus discrimine euehi atque attolli. Præstabit,
 in quā, actoribus atque Collatore prætermisis, ipsam Cardineæ digni-
 tatis excellentiam, eiusdemque dignissimum susceptorē Illustrissimum
 Carolum sequenti si non celebrate oratione, at leuioribus saltem la-
 bris attingere ac delibare.

Dignitas, qua Illustrissimus ac Reuerendissimus hodie Carolus
 nostrum omnium oculos, ceu radiatissimum quoddam sidus nō mo-
 do illuminat, verum etiam mirificè reficit, recreat, exhilarat tanta
 est tamque sublimis, vt sicuti ad eximia atque sanctissima eius fasti-
 gia non nisi rarissimæ in terris, quod fertur, aui, aut ne Iouis quidem
 ipsius volucris, aut mortalium paucissimis, atque non nisi singulariter
 à superis ad hoc procreatis ac fabrefactis patet accessus, ita nō à quo-
 uis dignosci eius maiestas, atque amplitudo percipi potest. Atque
 illam quidem si qui vestrum acuratiores rerum indagatores, quanta
 ea sit, quoquo modo flagrans intelligere, ab altera graduū atque
 splendorum vobis non incognita magnitudine scisci temini. Duo-
 bus enim honorum ac dignitatum capitibus vniuersum orbem ter-
 rarum administrari, legibusque tam sacris, quā humanis gubernari,
 Sanctissimo nimirum Pontifice, Augustissimoque Romanorum Cæ-
 sare, nemo est vel mediocriter in rebus versatus, qui ignoret. Hæc
 duo

duo summa atque potentissima mundi capita suis exornantur diuersi
si ordinis dignitatibus, eisdemque veluti firmissimis columnis atque
fulcris sustentatur. Quarum alia sub ipso quidem capite minores,
maiores alia, alique summa: utrobique vno tanto rerum ordine, tanta
pulchritudine disposita ac distributa, ut si vna conferantur, facile
quauis ordinis dignitas quantum ceteris antecellat, ac praestet, elucescat.
Etenim quod in communi atque recepto Romani Imperij ordine
(ut ab inferioribus ascendamus) sunt ciues: hoc in sacro Pontifica-
tus imperio veneranda Sacerdotum cohors. A ciuibus ibi nobiles,
hic a Sacerdotibus religiosi, a nobilibus Barones, a Religiosis Cano-
nici, atque Praelati: a Baronibus Comites, a Praelatis Episcopi, a Com-
itibus Marchiones, ab Episcopis Archiepiscopi, a Marchionibus
Principes, ab Archiepiscopis Patriarcha a Principibus Reges. a Pa-
triarchis Cardinales, a Regibus Imperator, a Cardinalibus Pontifex.
Quo igitur in Romano Imperio honorum culmine Regia: hoc in sa-
cro Pontificatu Cardinea maiestas: quodue res sacra humanis, hoc sa-
cri hi Reges, Amplissimi, inquam Cardinales dignitate atque splen-
dore, rerumque gerendarum magnitudine nostris Regibus antecel-
lunt: quorum autoritate summa Summus Pontifex eligitur, & soli a
solo Pontifice deliguntur. Vnde eis non immerito elegantissima Car-
dinalis illa, quae a cardine & alis deducta est, nomen clatura diuinitus
primum excogitata, atque mortalibus postea divulgata solis ac vnus
indita ac attributa est. Vti n. Valdis atque infractis eorum hu-
meris inuictissimi totius Ecclesiae cardines, non secus, ac vniuersa ter-
rarum machina robustissimis Atlantis illius lacertis incumbunt: ita
summi eiusdem Ecclesiae Pontificis alae, quibus Pontificia volat atque
sustentatur autoritas atque maiestas, idem est amplissimus Illustrissi-
morum Cardinalium confessus. Neque eos spreuerimus magni no-
minis autores, qui eandem celeberrimam Cardinei nominis originem
a Cardine & alite ea rerum significatione deductam esse pronunciet:
quod veluti apud prepotentem totius vniuersi Monarcham alites
(Angeli aliam dicti) aulae atque triumphantis illius Ecclesiae fortissi-
mi cardines sunt, quibus robur immensum, diuinamque potentiam
declarat, ita Christianae vniuersae Reip. militantis, eiusdemque Sanc-
tissimi Monarchae, summi, inquam, Pontificis fidelissimos alites, atque
a latere custodes amplissimos esse, vnoque nomine concinne prolatos
Cardinales, quasi dicas, Cardineus ales. Consulto hic pretereo digni-
tatis

tatis huius atque splendoris externam pulchritudinem, non cuius
notam atque perspectam enotare: quid punicea purpura, quid pileus
Cardineus, siue corona, quid crux aurea, quid cetera magnum atque
honorificum portendant, & non nisi sublimibus elatisque hominum
ingenijs enucleandum præ se ferant, non enim ferunt hæ temporis
angustiæ, neque in me est ea, qua par est Verborum vbertate ac am-
plitudine hoc sublime atque eminentissimum honoris culmen exor-
nare, cui vix integrum est tantæ dignitatis meritissimum susceptorẽ
Illustrissimum Carolum reliquo orationis meæ tenui decursu per-
stringere. de cuius equidem gloria immortalis Heroicis que monumen-
tis, quæ possent hodierna luce, deberentque merito dici ac prædica-
ri: ea mihi cum inexhausto tantarum laudum pelago, tum præsentis
exoptatissimo huiusce nouæ lætitiæ nuntio, communi que vestrũ om-
nium hodierna gratulatione plurimum refecari atque proripi ani-
maduerto. Nam cum illud hodie euenit, quod pro ardentissimis
omnium votis, pro clarissimæ dignitate familiæ, pro honorum am-
plitudine, laudum que splendore, piorum quilibet sibi certo pollice-
batur euenturum, quid mirum ob inauditam hanc lætitiæ magni-
tudinem, nouum que decus in patriam lucem inuectum ac introductũ,
tantos hodie animorum applausus, tantas gratulationum contentio-
nes esse: vt nemo sit, qui facti huius celebritatem non sublatis potius
ad astra vocibus acclamationum laudum que concentibus, triumphis,
igne, ludo, spectaculis, bellicorum tormentorum fulminibus, quam
verbis ac oratione condecorandam esse putet? Verũ si Romanis
illis Imperatoribus à deuictis populis, à subiugatis imperio barbaris,
eorum in patriam redditu delixis vbi que victoriæ trophæis habitas
perhibent pro rostris orationes; quin Illustrissimo Principi huic no-
stro, eiusdem equidem Romani, sed longè quàm præcis illis tempo-
ribus felicioris Imperij Dynastiæ atque sacro Regi nuper felicissimè
pronunciato: atque sanè non bello, sed è pace, non à subiugatis, sed li-
bertate atque decore donatis populis redeunti, non de captiuis, vel
hostium spolijs, sed de Cardinea dignitate triumphanti liceat eodem
nobis, quamuis inferiori longè, dicendi, genere congratulari. Ete-
nim cui nam potissimum gratuleri tibi ne Illustrissimo Principi nos-
tro Cardinali nuper dignissimè ac honorificentissimè pronunciato,
totique Madruticæ domui, an vniuerso potius huic tuo Principatui?
huic Reip. huic Vrbi? huic Populo hoc tanto dignitatis tuæ lumine
collu-

collustratis? Etenim cum sit earum rerum gratulatio, quæ secundis fortunæ Fauoniis hominibus euenire solent, non video gratulationi locum Vllum superesse, qui non fortuna, sed stemmatis claritate, non euentu, sed gestorum gloria, non forte, sed virtutum splendore, non hominis cuiuspiam voluntate, sed certissimo DEI arbitrio ad hæc sublimia laudum fastigia aditum longè ante preparatum expectasti. De huius igitur stemmatis eminentissimis laudibus vnde tot mundo lumina multis iam retro seculis prodiere, de quæ hoc ipso diuino præscripto cum mihi sit breuiter dicere constitutum, ita dicam, Auditores, vt neque, de vera laude detractum oratione nostra, neque falsi quicquam affectum esse videatur. Etenim cum ad partas honorum dignitates familiæ claritas, gestorum magnitudo, illustrium virorum series summum adferant ornamentum, nihil est profectò, quod ad hodiernum decus cohonestandum sublimius, expoliendum accommodatius, exornandum illustrius possit afferri, quàm celebris eorum recordatio atque memoria, qui hac ipsa Illustri prosapia oriundi ita hæctenus claruerunt, atque eo vsque clarent, vt eorum nomen ac fama non patriis duntaxat oris sese queat occultare, sed emerfa perque remotissimas terrarum partes diuulgata omnium propè gentium atque nationum oculis obuersentur. Atque vt temporum angustiis circumscriptus, inuitus præteream & absentes, & si quos coram cernitis, quorum iucundo conspectu hic ipse Amplissimus confessus vester, patriæque hæc vestra, ceu fulgidis quibusdam Helenæ sideribus coruscat atque relucet, perillustres nimirum Madrutios. Aliprandum, Fortunatum, Gaudentium, Emanuelem, Ferdinandum viros tanto virtutum ornamento conspicuos. tanta illustrium factorum pulchritudine decoratos. Vt cum à suis ac incolis omnibus, tum etiam exteris, ad quos eorum fama peruolarit, vel absentes amentur, colantur, obseruentur. eorum solummodo celebrem memoriam paulisper repetamus, ac innouemus. qui cum ab eodem stemmate processerint. hac ipsa, qua Carolus Illustrissimus hodie fulget, dignitate claruerunt. Ecquid enim Christophoro Cardinali Madrutio amplissimo Illustrissimoque fuit viquequam illustrius? quid illo magnificentius? qui vt primus omnium præclarissimam domum Madrutiam hoc sublimi honorum titulo dotauit: ita patriam, pleraque exterarum gentium nationes varijs rerum emolumentis insigniuit. cuius præclara ope Augustissimus Romanorum Imperator Carolus, id nominis Quintus, vt non dubitauit,

eum potentissimum Sanctæ memoria Philippum Hispaniæ ac Indi-
 arum Regem nuper defunctum, ad capescendum Belgium delega-
 ret. cuius Cæsareâ sobolè fidei, tanquã integerrimo cuidam Achatì,
 ab oris Hyberii vltimis in medios vsque Belgas commendandam
 esse voluit, vniuscùq; curæ ac patrociniò committendam. Qui dein-
 de ab eodem Inuictissimo Hispaniarum Rege Philippo Mediolanè-
 si gubernando Principatui præfixus, id muneris ac officij genus ita
 administravit, vt ad singularem illius prudentiam, atque gubertandi
 dexteritatem nihil reliqui accedere potuisse videatur. Quid? quod hãc
 suam, nostramq; patriam, hanc ipsam, inquam Tridentinam vrbẽ
 nominis famèq; celebritate reddiderit apud omnes posteros immor-
 talem? quod illius eximio studio ac inaudito cum tuendæ Orthodo-
 xæ fidei desiderio, tum pestiferis Hæreticorum machinamentis pro-
 pulsandis, atque è sacro Romanæ Ecclesiæ cœtu penitus arcendis ce-
 leberissimum illum Sanctissimumq; Sacræ Synodi atque Concilij
 censessum in hanc vrbem nostram vel è remotissimis quibusuis ter-
 rarum partibus conuocandum esse voluerit, ac celebrandum. Atque
 vt ne immensum tot illustrium factorum æquor percurramus, vnica
 nobis Romanæ curiæ totiusq; decantatissima vox Italię sufficiat,
 qua ad æternam tanti Herois gloriam confirmandã posterisq; om-
 nibus significandam idem Illustrissimus Christophorus meruit præ-
 ceteris Cardinalis cognomento Magnus nuncupari. Huius animi
 magnitudinem atque præstantiam, quanta fuerit imitatus industria
 alterum Madrutie gentis lumen Illustrissimus ac Reuerendissimus
 pijsimę memorię Cardinalis Ludouicus in prioris defuncti locum
 ascitus, superiora, quibus vixit, tempora locupletissimo sunt omni-
 bus testimonio; quibus in ea, quæ terrarum caput est, Ciuitate eò
 deuectus erat amplitudinis atque splendoris, vt inter ceteros Pur-
 pureæ togæ Patres Illustrissimos sibi vni, tanquam fulgentissimo
 inter omnia sidera Phæbo, cum ab omnibus, tum maximè summis
 eius temporis Pontificibus primi honores meritiò delati fuerint. Qui
 quanta valuerit & apud omnes Europæ Principes, & precipuè apud
 duo summa vltissimi mundi capita, Summum Pontificem, &
 potentissimum Romanorum Imperatorem autoritate, nemo non
 intelligit, cum illum Cæsar in Italia vniuersę Germanicæ nationis
 apud Pontificem habuerit Protectorem. Pontifex eundem ad Cæsa-
 rem summorum reru actorẽ non semel delegarit. Quas ille legationes

omnes, precipuè non ita pridem Augustanam, atque postea etià Ra-
tisbonensem ad Cæsarem omnelque potentes Romani Imperij Prin-
cipes, tanta gessit grauitate, tanta magnificentia: vt omnes non suam
in ipso dignitatem, sed in ipso Pontificem fuerint potius admirati.
Cuius admirabili sapientia, vitæ sanctimonia, animi candore ac inte-
gritate: in pauperes etiam liberalitate, in subditos humanitate; in oso-
res quin etiam, ac inuidos munificencia & amore, in rebus aduersis
constantia; in tot difficillimis itineribus ad diuersas atque longinquas
orbis terrarum partes conficiendis obeundisque animo infracto, sũ-
marum rerum legationibus, promptitudine, atque alacritate. In pro-
mouenda demũ totis conatibus Sacrosanctæ Sedis Apostolicæ au-
toritate non immeritò (Quod & neminem Vestrũ latere potest) effec-
tum est, vt sub optionem Sanctissimi Clementis Octauidiem Am-
plissimus Cardinalis Ludouicus communi omnium Amplissimorum
Sacri Collegij Romani Patrum voto atque acclamatione summus
Pontifex fuerit pronunciatus. Quem equidem eminentissimum tan-
tæ dignitatis apicem venerandę iam canitie consecutisque podagri-
co morbo Viribus longè imparem arbitratus ea, qua par est, mode-
stia repudiavit.

Quæ veluti summa sunt, Auditores, atque admirabilia & hæc per-
illustris familia ad huius generis res obeundas, non humano quop-
piam, sed altiori plane què diuino numine nata ac educata esse videat-
ur: ita singula hæc Illustrissimorũ Ludouici atque Christophoti ge-
sta hoc tertium, quod præsto est, atque supremum Madruticę gentis
lumen ac ornamentum, Illustrissimum inquam Carolum, in quo om-
nia vnico tamquam radiantissimo quodam speculo clarius eniterent
in orbem terrarum venturum sapuisse videntur ac portendisse.

Atque profectò superno arbitrio sic ordinatum erat, vt hæc nostra
Rep. tanto nuper decore atque sidere orbata, cum Romana tellus tã-
ti nobis copiam Principis abriperit: vt altero Reuerendissimi Ludo-
uici astro in Occasum occumbete, alterum Illustrissimi Caroli sidus
ab ortu rursus lætissimum emergeret, atque non vrbem, patriam,
atque Remp. solum hanc nostram, sed sacrosanctam etiam Roma-
nę sedis autoritatem inter Amplissimos Ecclesię Cardines relatus il-
lustraret. Quanto. a. hoc ipsum superiorum immortalium multis
iam tetro se culis arbitrio præstituto oportuit fieri, si cupitis intellige-
re: attendite quanta ijdem superi sapientia hoc misterium tacitè qui-
dem,

dem, sed vel mediocriter solerti posteritati satis aperte pulcherrima
atque artificiosa eiusdem Caroli nominis nomenclatura insinuaue-
rint. Attendite, inquam, per vestram fidem, Auditores, admirabilem
tanti nominis structuram quanto à superis artificio, quanto plurima-
rum, quæ hodie vidistis atque deinceps visuri estis, rerum præfatio
atque pondere excogitata, ac Illustrissimo Principi huic nostro ab in-
cunabilis in hanc lucem procreato indita atque attributa fuerit. Ete-
nim Caroli nomen quam per se celebre ac vndequaque Heroicū sit,
illud non obscuro est argumento, quod sub eo non nisi summi atque
Illustres plerique Heroes nuncupati gloriosè claruerunt. Nam veluti
inter ceteros potētissimi tres illi atque Inuictissimi Romanorum Im-
peratores Carolus Magnus, Carolus Quartus, ac Quintus rebus præ-
clarè gestis, factorum magnitudine, armorumque potentia reliquos
omnes Imperatores faciliè superarunt: ita Caroli nomen Illustrissimo
Cardinali, Principi huic nostro illa à superis nota, felicissimoque au-
gurio inditum est, quod rerum atque gestorum gloria ac amplitudi-
ne sit reliquos Antecessores Principes, atque etiam venturos nō mo-
dò æquaturus, verum etiam faciliè superaturus. Sed adeo doctam pla-
nedè diuinam huius nominis fabricam paullisper enodare, vestrisque
oculis opponere mihi breuibus liceat. Cuius si tres cumprimis, qui-
bus construitur, syllabas consideretis, tres Illustrissimos Madrutia
gentis Cardinales vno eodemque nomine complexos, diuque vobis
antè insinuos animaduertetis. Prima etenim syllaba Carolus Il-
lustrissimus. altera, Christophorus. tertia, quæ Lu habet, Ludouicus
apertissimè notantur. Si verò vocales ipsas à consonantibus diuisas
atque secretas ponderetis, id ipsum longè clarius atque altius appare-
bit. Totius . n. nominis Caroli omnium sonantissima, A, est: Chri-
stophori eodem nomine repetita sonantior, O, est, Ludouici ter repe-
tita sonantior, V, est. Constat. a. apud Oratores & litterarum peritios
vocalium quippe omnium easdem tres sonantiores esse. A, verò
omnium plenior, atque non vocalium duntaxat, sed omnium lit-
terarum primam atque Principem esse, ideoque Illustrissimum Caro-
lum connotantem primo nominis loco constitutam esse, quæ vobis
indiget, omnium equidem Illustrissimorum Madrutia gentis Cardi-
nalem, atque Principum gloriam ac famam vbique terrarum ac gē-
tium: vnius. a. Illustrissimi Caroli toto orbe sonantiorē peruasurā esse.
Sed neque hic mysterij atque artificij limitem superi posuerit. Etenim

si tres prædictas Dni huius nominis syllabas dentio memoria repeta-
 tis Illustrissimum Carolum ad hodiernam Cardinei splendoris Am-
 plitudinem certo numine procreatum atque ordinatum fuisse luce
 luculentius meridiana deprehendetis. Ecquid. n. dici manifest-
 us, aut ipso Indice demonstrati poterat euidentiùs: cum vtraque
 Caroli atque Cardinalis nomina ab vna eademque syllaba ordian-
 tur? Prima itaque syllaba: C A R. Cardinalem denotat: altera:
 O L. Olim futurum: tertia. V S. vsque, id est, tempus, quo hæc
 euentura sunt, terminusque duplex commonstratur, alter à Quo,
 nimirum ab Illustrissimi Ludouici obitu: alter ad Quem, ad subli-
 miorem nempe altitudinis apicem. Quod equidem non temerè à
 me dici, vel graui sine momento pronounciari existimetis velim.
 Per litteras. n. studiosè nominibus insertas res magni persape
 momenti, imò etiam diuinas tacitè significatas olim fuisse noue-
 runt Sacrarum litterarum periti. Atque hæc ita se habere idem præ-
 clarum Caroli nomen adhuc manifestius proclamat. Audiamus
 igitur illud in tres alia classe syllabas diuisum. Quid a? hæc
 palam pronounciat: prima, C A, Carolus Cardinalis: Secun-
 da, R O, Romam: tertia, L V S, Lustrabit. Si Romam igi-
 tur superis per hoc nomen proclamantibus Carolus Cardinalis
 Illustrissimus illustrabit, non Cardinea profectò, qua prius Romam
 illustrat, sed longè adhuc eminentiori deinceps illustret dignitate
 necesse est. Hæc a fronte. Atque si retrorsum etiam idem nomen
 relegatis, & eandem & hæc grauiorem sententiam à superis pro-
 nunciatam intelligetis. Quænam illa? prior syllaba inuersa, A C,
 reddit, quod est, Accendet. altera, O R, Orbem. tertia, S V,
 Summo. L, Lumine. Terminos audistis. Iam verò etiam inter
 vtroque spatium, & præsentis & splendidioris venturæ ampli-
 tudinis, si Apollineo longè verius delubro scire desideretis. ab
 eodem pulcherrimo Caroli nomine deprecite. Spatium. n. nu-
 merus annorum duraturæ vtriusque dignitatis est. Annos eiusdem
 nominis litteræ, quæ post primam syllabam reperiuntur, ostendunt.
 Sunt. a. duæ. L. quod Quinquaginta, & . V. quod Quin-
 que. Quibus si ceteras non numerales litteras vnitatem dunta-
 xat significantes addas, earum quinque reperies. Iam si summa-
 tum omnia colligamus, spatium prodibit annorum sexaginta. Quos
 equidem ac totidem alios, si superis libeat, annos vt Illustrissimo

ac Reuerendissimo Principi nostro iisdem Augures superi immortalis summa sui iucunditate, rerumque omnium felicitate benigno coelo disfluere patiantur. etiam atque etiam, & vniuersus hic Principatus ac incolæ, & præsentis huius Clarissimi Auditores, maximeque Collegium Hippocraticum per me tacite desiderant, optant, precantur. atque si fas est superis legem statuere. statuunt, iubent, imperant. Atque hæcenus de omine.

○ Nunc verò etiam vt de altero parte hodiernæ dignitatis capite breuiter dicamus. quid est, quod vel Heroe tanto dignius, vel hac patria honorificentius, vel sacra Rep. sanctius à superis poterat impartiri. quod rem vestram temporum iniurijs dirutam atque collapsam instauraret? veterum monumenta suscitaret? dignitates innouaret? omniaque in huius Reip. commodum ac emolumentum conferret? Ecquis. n. vestrum, Auditores, tam modicus rerum scrutator adstat ac obseruator, qui luce clarius meridiana non animaduertat hanc vestram Remp. huius admirabili gubernandis rebus patrocinio indies rebus augeti, libertatibus locupletari, dotibus insigniri, honoribus amplificari? An non abundè vidistis Urbem hanc vestram iam propè sine incendio conflagratam, sine hostibus deuastatam, temporumque ac hominum incuria desertam ac vetustate confectam; tam subito commodis donatam, ornamenti illustratam, pristinaque integritati restitutam fuisse: vt nouum spirasse decus, nouam formam, faciemque nouam mihi equidem paucos annos absenti induisse, & hanc ipsam huius diei celebritatem testificari atque exornare voluisse videatur. Taceo quanta idem patriam sapientia, Remp. Iudicio, Senatuum ordine, Urbem dexteritate, Populum humanitate moderetur atque gubernet. Prætereo eximiam eiusdem erga egenos munificentiam, erga subditos mansuetudinem, erga probos facilitatem, erga delinquentes clementiam. Silentio etiam obuoluo huius singulari studio ac opera rem hæcenus Ecclesiasticam tantum incrementi suscepisse, vt iam quodammodo primum diuinarum rerum cultus respicere ac reuixisse videatur. Quis etenim Monasteria ac sacras ades dudum desertas ac derelictas ad diuinum vsum reuocauit? reuocauit Illustrissimus Carolus. Quis eadem rei sacre minimè idonea à fundamentis suscitauit? suscitauit Illustrissimus Carolus. Quis rebus ad rem sacram peragendam


dam necessariis donauit? donauit Illustrissimus Carolus. Quis sanctissimum Capucinorum, siue Diu:Francisci asseclorum ordinem introduxit? introduxit Illustrissimus Carolus. Quis denique innumeras difficultates tam ad rem sacram, quam ciuilem peruenientes summa felicitate cōposuit? cōposuit Illustriss. Carolus. Quid igitur adhuc reliqui desideratis, Auditores? an non diuinum quoddā habetis planeque opratissimum uenturę posteritatis reumque secundarum testimonium atque Delphico minimè inferius oraculo præfagium, quo vos fortunaque vestras impostero tanquam Palladio quodam clypeo protectas ac custoditas ab omnibus & temporum & impiorum iniurijs reseruandas ad vindicandas esse intelligatis. Etenim si talia in Illustrissimis ac Reuerendissimis eius Antecessoribus Christophoro ac Ludouico per omnem eorum ætatem, postque adeptum Cardinei splendoris titulum perpetrata atque administrata fuistis umquam admiratiq̃ue uobis, per superos immortales, futuris erunt seculis expectanda: qui hæc illustria facinora, & his longè maiora hoc recenti ætatis æuo tam breui tempore, tãta celeritate atque ante partam quidem dignitatis hodiernæ lucem non cogitata solum, sed magno animo inchoata, cōstanter promota, summa denique laude atque felicitate peracta in Illustrissimo Carolo conspexistis? O tempora hæc felicissima, o aurea verè secula, O fortunatissimã fortunatissimo Carolo patriam. Quis hodie mihi sagacissimus actionem Hortensius? quis uerborum Cato grauitatem? aut quis hodie Tullius Romanæ fontes depromat eloquentię, ut Illustrissimam domum Madrutiam tot Heroum matrem, tot Illustrium uirorum procreatricem dignis laudum Encomijs mihi extollere liceat atque concelebrare Hæc sunt Auditores, hæc inquam, animi exhilarandi frontisq̃ue exportigendæ gratissima otia ac tempora, dum patriam hanc uestram trium fulgentissimorum luminum pulchritudine collustratam in omnium gentiũ atque nationum oculis uersari ac sempiternis laudibus attolli conspiciatis: cum eos iam parturijse ac in totius mundi lucem enixam fuisset hæc secula, hæc lustra, hi dies uiderint, qui non gentes dũtaxat, nationes, prouincias, orbem propè uniuersum: sed superas etiam cælestium spherarum machinas immortalitate suis nominis expleuerunt. Hodie demũ communi omnium acclamatione præscę illi tantarũque rerum minimè conscia, neque præfagæ ualedicendum est antiquitati: quæ tridentũ siue à trino colle, siue torrente trino, siue ficto Nep-
tuni,

tuni, sceptro atque Tridente nuncupatum fuisse fabulata est: cum hodie primum legitimam sui nominis nuncupationem in Illustrissimo Carolo sortita sit. Quid. n. aliud est Tridentum, quam Trinum ornamentum, quod in Illustrissimis ac Reuerendissimis Christophoro primùm cœpit: Ludouico floruit. Carolo deinceps nullis vnquam seculis emoriturum vigebit. Cui equidem Illustrissimo atque Amplissimo Patri, Domino, Heroi, Principi, ac Cardinali nostro pio, optimo, integerrimo: digna tate maiestatis magnificentia decorato: vestra cum primis, Auditores, atque piorum hominum, maximeque Cūctorum huius Vrbs diuini Galleni asseclarum gratulabundæ mecum voces meritiuissimè concinant atque proclamēt illud incundissimum, **V I V E . felicissimum V I V E , æternum V I V E .**

Ad vos me beneuolos Auditores conuerto Illustrissimi atque Amplissimi Principis vestri hodierna maiestate vnà decoratos, honoribus auctos, beneficijs excultos, humanitate complexos, omni denique rerum atque Virtutum copia cumulatos. Vos, inquam per vestram fidem compello, vt omnem rem vestram, fortunas, liberos, adeoque singula studia vestra post **D E V M** ter **Opt. Max.** in eundem Dominum ac Principem vestrum, à quo in vos redundant, redundare patiamini. In te. a. Cardinalis Amplissime Reuerēdisimeque Princeps, vnde exordium sumpsi, nostra vult exitum oratio posuisse. Quem etiam atque etiam pro factis illustribus, pro immortalis tui nominis gloria ac fama, pro hoc ipso eminentissimo dignitatis tuæ decore ac lumine deprecor atque exoro: vt & præsentem, & vniuersum tui patrocinijs populum, hancuè ornatissimam tuam Remp. hoc immortale tuum decus celebrantem, illustriaque monumenta adorantem, atque ad sempiterna cum tui, tum eiusdem Illustrissimæ domus Madruticæ obsequia paratissimam serenissimam beneuolentiæ tuæ aura, solitaque humanitate complecti atque fouere ne dedigneris. Iam. n. (quod superi bene vertant atque secudent immortales) futurum videmus; vt te quâdoque pro factis illustribus in suprema illa ac augustissima trini Diadematis sede collocatum, & in te Illustrissimam domū Madrutiam omnium gentium atque nationum ventura posteritas adoret ac obstupescat.

D I X I .

P / 5941



BIBLIOTECA
COMUNALE
TRENTO

T

I-Op

d

38

ILLVSTRISSIMO

O

D

GIVM




x-rite

colorchecker



MSCCPPCC0613



MSCCPPCC0613

TRIDENTI, Simon Albertus Superiorum permissu
excudebat Anno Domini, M. DCIV.